



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Præfatio Authoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Pro Affliclis & contristatis, aut pro seipso.

COLLECTA.

Domine Iesu Christe, qui tuo nos exemplo esse iussisti humiles, mites & misericordes, respice quæsumus huius famuli (aut famulæ, aut famulorum tuorum, nostrum aut meum) omniumque afflictorum gemitum, & in gaudium eorum, (vel nostrum) luctum conuerte, vt illuminati gratia tua discant (vel discamus) & timere in prosperis, & exultare in aduersis. Qui viuus &c.

SECRETA.

HAC oblatione quæsumus Domine, quam in omnium laborum, tristitiarum, passionum, dolorumque tuorum memoriam offerimus, humiliter tibi supplicamus, vt huius famuli tui (nostram vel meam) omniumque afflictorum tristitiam consoleris, quo in te solo perpetuo gaudeant, (vel gaudeamus) & tui amore tristissima que que toto corde subire concupiscant. Qui viuus &c.

COMPLENDA.

Huius Sacramenti cœlestis Domine perceptio hunc famulum tuum, omnesque in vniuerso mundo afflictos consoletur, vt ab omni tristitia erepti exultent in tua misericordia, & in omni beneplacito tuo confirmentur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum &c.

Libri II. Alloquiorum finis.

*METHODVS AD VERAM CHRISTIANAMQUE PERTINGEN-
di Theosophiam: & quam quæsumus ab eiusdem adeptione præpediant.*

Prefatio Authoris.

Homo rationis ac beatitudinis capax, ad Deum cognoscendum, amandum, & eo fruendum conditus, multis impeditur modis ab illo hoste antiquo, reteratore improbitissimo, tartarico demone, ne in Dei cognitione ac amore proficiat; multa enim suggerit, partim euidenter mala, partim virtutis quandam speciem præ se ferentia, quibus plerisque omnes aut penitus auerit à virtutum profectu (quibus solis pertingitur ad Deum) aut certè remoratur.

Curiositas
sciendi ad
salutem nõ
necessaria.

Inter hæc est non minimum impedimentum, libido & curiositas, omnia (etiam infrugifera ac superuacanea) cognoscendi, aut illis (quæ non nihil possint habere commodi ac bonæ frugis) nimis diu immorandi. Ita videmus perplures ætatem omnem deterere in perdiscendis artibus liberalibus, in inuestigandis

curio.

curiosissimæ antiquitatis monumentis, in euoluendis veterum Philosophorum scriptis, in linguarum obtinendâ cognitione, nec id tamen ob aliud aliquid nisi vt decti habeantur, & plurimarum rerum cognitione tum sibi, tum alijs placeant. Interim verò aded sunt suæ æternæ salutis incuriosi, vt dubitare possis Christianis sint, nisi quod verbis adhuc Christum vecumq; fatentur, licet factis negent. Quorum sanè est miseranda conditio, quod cum multò minori negotio possent in vera ac salutari sapientiâ vel summum obtinere gradum, eam nihili pendant & tempus omne atque operam ponant in rebus inutilibus, ne dicam perniciosis.

Verùm id longè debet abesse ab eorum instituto, qui se Christianos non nomine duntaxat, sed & re ipsa præstare volent, qui eò potius modis omnibus conuicti debeant, vt externarum artium vel rerum cognitionem non quidem omninò respiciant, sed (quantum ad Christianam possit satis esse pietatem) apprehendisse contenti sint: ac deinde totos se ad veram conferant Philosophiam, quæ in Dei cognitione & contemplatione versatur: nec obtineri potest, nisi virtutum studio, extirpatis prius vitijs omnibus, ac confopitis animi perturbationibus, quæ mentem obnubilant, aut penitus excæcant, ne possit in Deum suos intendere obtutus. Cùm sit enim Deus spiritus purissimus, non nisi à nitidis mentibus cernitur.

Profligatis autem vitijs, mens suapte spontè fertur in Deum, tanquam suam originem: sicut lapis natura deorsum, ignis sursum tendit.

Istæ verò Philosophia cunctis Ethicis Philosophis nunquam benè perspecta, mystica theologia ac diuina sapientia passim à Theologis appellatur, qua creaturæ animus ultra omnia sese in Deum recipit, creaturis omnibus (quæ ipsi possint esse impedimento) nunciis remittit, soli Deo inhiat, soli Deo placere, eoque vno frui desiderat, despicit præsentia, æterna concupiscit, spernit seculi vanitatem, ad cœlestia suspirat, denique ab omnibus sese expedit, vt possit soli Deo vacare ac inhzere, & eo in æternum perfrui. Ipse est enim finis & scopus, ad quem tota hominis vita dirigenda est, qui cùm apprehensus est, nihil est quod præterea mens acquirat, quò non apprehenso, nihil est quod mentem explere queat. Huic ergo tã salutari, tam vtili, tam necessariæ sapientiæ cùm meritò vacare omnes debeant: tamen ea neglecta omnes ferè suos sequuntur animarum impetus, & discunt ad extremam vsque senectutem, nec tamen veritatis scientiam adipiscuntur, quæ non nisi in Deo inuenitur, à quo se miseri auertunt, & qui intus in animâ suâ Deum (in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi) præsentem semper habent, (paratum ipsis suæ sapientiæ splendores affatim communicare,) in externa sese effundunt, voluunt & reuoluunt innumeros codices, noctes ac dies libris assident, seipso miserè discruciant & macerant, vt possint scilicet multa videri didicisse, & ab omnibus Rabbi vocentur, & tamen post tantos labores tam longè absunt è salutari scientiâ, vt oleum atque operam omnem meritò perdidisse censendi sint. Cùm enim ille debeat studiorum nostrorum esse scopus, vt Deum ac diuina rectius cognoscamus, & ardentius amemus: isti quò plura norunt, eò sunt vaniores, & multò peius plerumque viuunt, quàm qui omninò rudes & idiotæ sunt, quod est euidentis argumentum, non eos verà sed fallaci ac turgidâ scientiâ imbutos.

Vt igitur tandem immodica sciendi libido compefcatur, velimusq;

Hhhh 3 potius

Titum 2

Philosophiam verã comprehendendū me-
dus.

Theosophia qui-
busnam so-
lis comper-
ta sit.

Scopus stu-
diorum
omnium
Christiani
cuiusque
quis fore
debeat.

potius vtilia discere, quam friuola: opera pretium nobis facturi visi sumus, si aliquot adferamus rationes, quibus liquidè declaratur, quid intersit inter sterilem ac infrugiferam Philosophorum & sapientium mundi huius scientiam, & sobriam ac longè saluberrimam proborum Christianorum sapientiam, quam nos *mysticam Theologiam* appellamus. Erunt autem rationes duo decim: Quarum prima hæc.

Theologia mystica quæ sit.

Christianorum Philosophia, (vel vera contemplatio & mystica Theologia) inter omnes scientias facile primas sibi vendicat: quandoquidem in summo & super omnia radiantissimo vertice addiscitur, puta in æterni contemplatione Verbi, quod est præcipuus vertex & fons ac origo diuinarum scripturarum & scientiarum omnium. Vnde est apud D. Dionysium. *Dirige nos, inquit, ad summum verticem mysticorum eloquiorum.* Contra verò humana sapientia discitur in infimo huius nostræ terræ habitationis carcere, qui est vallis miseræ tenebrosæ. Sapientia Christiana & vera contemplatio in apice voluntatis (tanquam in spiritali fastigio & monte animæ rationalis) perdiscitur, Atqui sapientia humana in valle phantasæ, densis phantasmatum nebulis obsita contrahitur. Vide Augustinum Lib. IX. de S. Trinitate, Capite VI, vt is qui in mōte est, subtus videt æreæ nebulosum, supra verò aerem purum ac syncerum.

D. Dionysius Arcopagita.

S. Augustin.

Philosophiæ mundanæ quanta sit futilitas.

Sapientia contemplationis Diuinæ, omnium scientiarum est compendiosissima, quippe quæ vnico ac simplici & discitur & docetur verbo. Vnde D. Dionysius vocat *mysteria Theologiæ simplicia.* Et D. Apostolus Paulus paucis verbis intra triduum (imò longè minori spacio) eam est sapientiam assecutus. At mundana sapientia & Philosophica longè lateq; diffunditur, & innumeris vix potest addici verbis, persuasionibus, exhortationibus, affirmationibus, negationibus, concertationibus & disputationibus.

Ast. 9.
2. Cor. 11.

Iob 16.
1. Cor. 8.

Quamobrem rectè dici possit mundi sapientibus, ex personâ veri contemplatoris, id quod habetur apud Diuum Iob: *Verbofi omnes amici mei: Ad Deum stillat oculus meus.* Iactant enim sese, & suam ostentant scientiam buccis crepitantibus mundi sapientes: at qui verè sapiens est lacrymis à Deo petit lumen sapientiæ.

Itaque mundi sapientia inflat & dispergit animum, Christiana sapientia compungit & colligit.

Theosophia quàm sit occulta. sed facilis.

Christiana sapientia, (quæ est eadem cum Theologia mystica,) certa est & absoluta. Non enim per parabolas, figuras, ænigmata, symbola, & id genus alia addiscitur: sed dilucidè ac perspicuè, ita vt est reuera. Hanc sapientiam ex Christi pectore affatim hausit præ cæteris charior ille discipulus, quàm postea eructans, *In principio, inquit, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

Ioa. 1.

Sed